



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Syntagma Iuris || Vniversi, Atqve Legvm || Pene Omnivm
Gentivm, Et || Rervm Pvblicarvm Præcipvarvm,||**

Grégoire, Pierre

Francofurti ad Mœnum, M.D.XCIX.

VD16 VD16 G 2999

Benevolo Lectori S. D.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-97739](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-97739)

IN ō vendibili, ut in proverbio est, suspensa haderā nihil opus. neque res præclara, cum ex se placeant, exoticam desiderant laudem. Hoc tamen verissime, & sine fallacia, lector, de hoc Syntagma ausim dicere: Quod etiam res ipsa clamant, illud iuris vniuersi Theatrum amplissimum esse, & Theaurum legum omnium pene gentium & rerum publicarum maximum amplissimumque. Ex quo, si libet, aut si scientiæ quis aut rei Politicæ cupidus fuerit, tanquam ex penu plenissima, quod desiderio futurum erit satis, depromere datur. Visne Diuina, lector, & rerum sacrarum arcana? visne status, ordines, legesve personarum ecclesiasticarum? Iura rerum humanarum. ea nimirum quæ personas, Resve publicas, Politicam, & ciuilem vel militarem curam spectant? nihil prope oculis, licet insatiabilibus, de futurum existimo. Neque hanc tibi, lector, huius operis commendationem in limine proscribo, tanquam mercator, aut nescio quis fumi venditor, qui

Largius æquo

Laudat venales, & vult extrudere merces:

Sed ita mihi a variis, iisque clarissimis doctissimisque viris & communi prope eruditorum hominum calculo comprobatum ac commendatum fuit, ut penitus mihi persuaserim, utilitati tuæ, tuisque studiis (quibus hactenus pro viribus & facultatibus diligentissimas operas nauaui) hoc insuper beneficium adiuicere debuisse, Atque adeo sentio, me nullo præteritorum meorum laborum in tantum studia tua iuuisse, quantum præsentis hac Syntagmatis editione me adiuturum confido. Grauius tamen maturiusque aut liberum de hac re iudicium tuum tibi relinquam. Sed quo, tibi noua hæc editio, gratior nunc, utilior atque adeo ad usum tuum facilius esset, eam viris consultiis (cum ipsius Auctoris præsentia in hisce deplorandis Gallicarum rerum tumultibus frui non liceret) summa cura commendauimus, ut ita opus castigarent, illustrarent atque augerent, ut nihil deinde amplius desiderari posset, quod ad operis ornatum, usum & fructum facere existimarent. Quod etiam ex fide ab illis fuisse præstitum, & ipse comperi, & tumet studiose lector, reapse percipies.

Imprimis menda infinita prope, a textu ipso expurgata sunt. Hinc allegationes marginales falsa, emendata: transposita & perturbatissima, quarum maximus certissime numerus erat, in verum statum & ad suum locum, non sine graui labore restituta: & in ipsum textum coniecta, characterumque discrimine ita polita, ut nemini displicere sint. Argumenta & summaria vetera renouata & emendata, ac noua plurima addita. Nota subinde, sed raro tamen adspersa: Indices reformati, castigati, & quam plurimis iisque valde necessariis locis adacti: Quo facilius utenti depromendi facultas esset. Deinde quod antea nondum, etsi maxime necessarium, ab ullo præstitum fuerat: Indicem Titulorum omnium vniuersi Syntagmatis, generalem, ex serie literarum de nouo contextendum curauimus: multaque alia, quæ ad huius Aurei & plane fructuosi operis, vel commodiorem usum, vel maiorem elegantiam requiri possent. Adeo, ut si cum prioribus editionibus comparationem quis instituat, plane nouum atque excellentius opus indicauerit. Tu interea, Beneuole Lector, labores nostros, & quam libenter pro te fecimus operam, boni consule, iisque communi cum fructu feliciter utere, fuere & vale.

fuere & vale.